



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Theologia Universa**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Collectio Brevis Controversiarum Theologicarum Modernarum, quæ etiam in Belgio inter Partes varias in Scholis aut libellis præcipuè sunt agitatæ, & quarum materiæ suis locis hic annotatis tractantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38477

sufficit tamen suspicio, aut etiam probabilitas, sed requiritur moralis aliqua certitudo adulterii commissi.

Licet est divorcium, non tantum ob adulterium, sed etiam propter *alias causas*, v. g. ob compartis sævitiā, furorem, lepram, aut alium morbum contagiosum, apostasiam à fide, &c. Non potest tamen id fieri privatâ auctoritate, sed opus est auctoritate legitimi iudicis Ecclesiastici. Patet ex *Cap. finali, de conversione conjugatorum*. Et *Cap. illa, de divorciis*.

Consensus mutuus conjugum sufficit ad separationem non tantum quoad *thorum*, quod certum est, sed etiam quoad *habitationem*. Ad hoc tamen postremum opus est Ordinarii iudicio & approbatione.

Moraliter certus de nullitate matrimonii sui non potest debitum petere, aut reddere. Qui autem contraxit cum dubio de valore matrimonii *manente dubio*, non potest debitum petere: tenetur tamen reddere comparti petenti quæ bonâ fide contraxit. Patet ex *Cap. Dominus, de secundis nuptiis*. Quod si uterque cum tali dubio contraxerit, neuter potest petere aut reddere: Quia manente tali dubio exponeret se periculo peccandi.

Si quis post matrimonium bonâ fide contractum incipiat *dubitare* de ejus valore, tenetur ad diligentem veritatis inquisitionem, & durante dubio non potest debitum petere: tenetur tamen reddere ob periculum faciendi contra jus alterius. Ita statuitur *Cap. inquisitioni tua, de sent. excom.* Quod si post debitam inquisitionem nondum sint rationes sufficientes ad iudicandum matrimonium esse probabiliter validum, idem dicendum ut supra, si autem tales adsint, potest etiam debitum petere, quia stat pro illo possessio bonæ fidei.

Qui tunc cognovit *consanguineam uxoris suæ* in primo, aut secundo gradu, non potest debitum petere ob novam affinitatem contractam, potest tamen, & debet reddere. Idem dic de conjugè obstricto castitatis voto, donec à voto suo liberetur. Qui autem contraxit matrimonium obstrictus voto suscipiendæ Religionis, aut Ordinis facti, graviter quidem peccavit sic contrahendo & matrimonium consummando: sed post consummationem potest petere, & reddere debitum, quamdiu compars jus retinet illud petendi, Ita Doctores communiter.

Dispensatio non cadit in impedimenta *jure naturali*

dirimentia, ut sunt etior circa personam: Ligamentum prioris conjugii: amentia: impotentia ad copulam, &c. in quibus non potest etiam Papa dispensare. In iis autem impedimentis, quæ solo *jure Ecclesiastico* matrimonium dirimunt, potest dispensare, non tamen licitè absque iusta causâ. Et in hoc casu censenda est invalida dispensatio, utpote subreptitia, cum non sit præsumendum voluisse Pontificem facere, quod ei licitum non fuit.

Causa legitima dispensandi hæc potissimum ab auctoribus numerantur: Extinctio magnæ litis, pax sanguineorum, evitatio scandali, conservatio illustri familiæ in eodem semine, excellentia meritorum potentis dispensationem: & his deficientibus supplere potest multa pecuniaria proportionata in causas pias, aut bonum publicum.

Episcopus etiam ob gravem causam potest ex tacita Pontificis licentia post contractum matrimonium dispensare in prædictis impedimentis, si adsint sequentes conditiones. 1. Si impedimentum sit occultum, matrimonium autem publicum. 2. Si denunciations aliaque solemnitates non fuerint culpabiliter omisse. 3. Si bonâ fide initum fuerit matrimonium. 4. Si separatio non possit fieri absque scandalo. 5. Si nimis difficilis sit recursus ad Pontificem, aut ejus Nuntium, aut alium habentem expressam dispensandi facultatem. Ita *Auctores communiter*.

Cetera Præctica de Matrimonii impedimentis, resolutione, dispensatione, etiam Penitentiarie Romane traduntur fuscè infra Tract. IV. Cap. VIII. usque ad finem.

Hæreses & Errores,

Contra hanc Theologiæ Partem Tertiam de Sacramentis, adducuntur cum suis Auctoribus ac refutatione in fine Tomi I. hujus Operis sub titulo, *Novi æ generalis Dogmatum ab Ecclesia damnatorum*, ordine Alphabeticò, pag. 144. & seq. sub his titulis particulæribus, *Sacramentum, Baptismus, Aqua, Absolutio, Confessio, Contritio, Confirmatio, Eucharistia, Missa, Nuptia sive matrimonium, Ordo, Penitentia, Sacerdotium, Unctio Extrema*.

Item, *suprà Part. II. Contr. 10. §. 6. pag. 135. De Sacramentis & eorum effectibus.*

COLLECTIO BREVIS

CONTROVERSIARUM THEOLOGICARUM MODERNARUM, quæ etiam in Belgio inter Partes varias in Scholis aut libellis præcipuè sunt agitatæ, & quarum materiæ suis locis hic annotatis tractantur.

DE PRÆDESTINATIONE ET GRATIA. *An Prædestinatio sic facta sit, ut Deus ex massa damnata, ante omnem prævisionem meritorum, unum elegerit ad gloriam, & alium in Massa damnata reliquerit. Et sic ut Doctrina opposita dici possit censurata? Vide supra Part. 2. Controversia 3. pag. 120.*

An etiam sic, ut aliquibus ex his Deus neget etiam gratiam sufficientem. Vide supra Part. 2. controversia 5. §. 3. pag. 124.

An rectè dicatur Christum pro omnibus non esse mortuum? Tract. 2. Capite 2. pag. 65. 66. & seq.

An GRATIÆ quæ datur in statu naturæ lapsæ ad singulos actus salutares debeat esse per se & intrinsicè efficax & victrix, per hoc quod major sit hic & nunc delectatio gratiæ, quam concupiscentia opposita? Suprà pag. 63 & pag. 128.

Et an porro rectè & propriè dicatur, in hoc statu non dari gratias mere sufficientes? Suprà pag. 123.

Et hinc Gratiam quæ est sufficiens v. g. ad conversionem semper convertere, quæ verò non convertit, non esse sufficientem?

Item, fieri non possent ex duobus gratiis equaliter interioribus exterioribusque præventis unus convertatur, alius minime? ibid.

De Libertate. An libertas in eo solo consistat, quod voluntas ex advertentia rationis se determinet ad agendum ex quocunque id oriatur principio?

Et hinc rectè dicatur, maximam esse in Beatis ad Dei amorem quem in cælo exercent libertatem? Suprà pag. 63. & alibi.

An potentia quam importat libertas requisita ad actus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, sit naturæ, non gratiæ?

De Ignorantia invincibili juris naturalis. An hæc in nullo detur: an si detur sit inexcusabilis, & quod sit ex tali ignorantia sit verè & formaliter peccatum? Infra Tract. I. sub initium, Principio primo.

De Probabilitate. An rectè, verè probabile cum dubio confundatur. Infra Tract. I. Principio 16.

An regulariter in dubio pars tutior eligenda? Infra Tract. I. Princip. 3. & seq.

An rectè dicatur, quod Probabilitas in nullo ferè casu sit recta regula conscientia ex ea ulterius formanda. Infra Tract. I. Cap. 2. de probabilitate opinionum. §. 3. & seq.

De Charitate & Attritione. An omnes actiones nostræ liberae aut morales sub peccato referri debeant in Deum per Charitatem aut perfectam, aut saltem per Charitatem imperfectam, sive per amorem benevolentiam prædominantem Dei propter se dilecti? Infra Tract. I. Cap. 3. quæst. 21. §. 2. & seq.

Hinc alterius, an rectè asseratur, quod Attritio nulla ex timore gehennæ, seclusa omni tali Dei dilectione, sit dispositio sufficiens ad justificationem etiam cum Sacramento sive Baptismi, sive Pœnitentiæ? Ibidem §. 3.

Et quod in Sacramento ne quidem ad justificationem sufficiat aliquis amor Dei propter se dilecti, nisi pœnitens habeat talem dilectionem Dei prædominantem, etsi non per se justificativum?

Et quod actus v. g. conjugalis sit peccatum quoties exercetur ex alio quovis motivo quantumvis bono absque casta Dei propter se dilectione? Ibidem.

De Confessione, Absolutione, cæterisque. An post integram Confessionem peccatorum non liceat Sacerdoti pœnitentem absolovere, nisi prius satisfactionem injunctam expleverit? Suprà Tom. I. Part. II. post Controvers. 10. in fine punct. 4.

An extra casum necessitatis, differenda sit Absolutio, nisi de interna pœnitentis conversione sufficienti Sacerdos habeat iudicium moraliter certum? Ibidem punct. 6.

An peccatori habenti consuetudinem peccandi, etsi in cæteris dispositio, differenda sit Absolutio nisi ad sit casus necessitatis, aut signa conversionis omnino extraordinaria? Ibidem, Et infra Tom. II. Part. II. Tract. I. Quæst. XV.

Et an dilatio illa sit necessario continuanda donec integra pœnitentis emendatio consequatur? Ibid. supra puncto 7. & seq. item infra Tom. 2. Part. 2. Tract. 4. Cap. 5. de Pœnitentiæ.

An dici possit non satisfacere Parochianos qui Confessionem Paschalem instituunt apud Regulares: aut qui Dominicis & Festis Missam non in sua Parochia sed alibi audiunt? Infra Tract. 1. cap. 3. Quæst. xxiii. & xxiv.

An Infantes non Baptizati cruciandi sint pœna ignis æterni? Suprà Tom. 2. Part. 1. pag. 25.

An Pontifex censendus sit fallibilis in questione Facti definienda, ut de sensu Auctoris, aut Sancti Canonizati gloria adepti? Suprà Tom. 1. Part. 1. pag. 37. 40.

An sufficiat admittere propositionem à Pontifice definitivè damnatam, esse falsam in aliquo sensu forte incompto aut indeterminato? V. Suprà, & pag. 67.

An Recentiorum auctoritas in Moralibus questionibus condemnanda? Infra Tract. 4. Cap. 1. in fine.

Sunt & aliæ Quæstiones aliquæ modernæ cum prædictis Controversiis Scholasticis ferè connexæ, aut minùs communes, quæ etiam in hujus Operis Indice generali suis locis facile reperiuntur.

de
kin

theo-
logia